



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Cap. I. An destructione formæ substantialis constituentis corpus naturale,
aut cuiuslibet alterius prior esse debeat generatio formæ oppositæ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)

32. Quintò : quia si ad conseruationem effectus minor influxus, quàm ad eius primam productionem sufficit, ob perfectionem effectus; non esset, cur effectus aliquis aded perfectus esse non posset, venullo influxu ad sui conseruationem indigeret. Consequens est absurdum, & ab aduersariis non admittitur: ergo, &c. Maior probatur à paritate rationis: quia eo ipso, quodd effectus aliquis ob suam perfectionem, siue influxum suæ causæ aliquandiu conseruari posset, vt cernere est in calore; non est, cur crescente perfectione alicuius, non possit semper conseruari sine influxu causæ, à quo primo producit: quâ ratione artificiosa æri impressa, sine actuali influxu artificis semper perseuerat, quin vlla vetustate aboleri possit, nisi contrarium aliquod positium interueniat: ergo similiter in præsentia, &c. Sextò, & vltimò: quia cum dicitur ab aduersariis, rem aliquam se ipsam conseruare, & sic minuere, ac tenuare concursum causæ in eam influentis; ea conseruatio, aut terminatur ad esse primum ipsius rei, aut ad esse secundarium durationum, per quas tempori labenti collabitur; si primum; ergo res secundum esse primum à se omnino indistinctum, à semetipso conseruatur, siue à se ipso est: cum ergo esse ab aliquo in creatis non nisi per veram causalitatem vsu veniat, soliusque Dei sit esse à se, quin causa sui sit: sanâ res illa, sicut à se pro momentis suæ conseruationis est, ita à seipsa causatur, sui que ipsius vera causa est, quod apertè falsum est: eo que admisso, non video, cur negari posset, rem se ipsam primo producere posse: si secundum, ergo non requiritur minor influxus ad conseruationem rei, quàm ad primam eius productionem: & enim sicut res producit durationem, quâ conseruatur: ita similiter producit durationem, quâ pro instanti primæ suæ productionis gaudet: igitur non est, cur vna productio, potius quàm altera concursum causarum in rem conseruatam minuat, aut extenuet.

33. Obiiciunt primò aduersarij, quod aliqua res magis, alia vero minus conseruentur, non potest non refundi in vim intrinsicam se conseruandi rerum ipsarum in aliquibus maiorem, in aliis minorem: ergo res ea virtute pollet, ac proinde ratione illius minori influxu causæ primæ, aut etiam secundæ ad sui conseruationem egent. Antecedens probatur: tum quia aliàs tota rerum duratio in solam Dei voluntatem reuocanda esset: tum etiam, quia aliàs dici posset, productionem vnus ignis verbi gratia ab alio in passo sibi applicato, non in actiuitatem ignis, sed in solam energiam causæ primæ refundi posse: sicut quod rei alicuius productionem talis, tantaque conseruatio infallibiliter sequatur, in influxum solius causæ primæ, non vero in vim sui conseruationis rei congenitam reuocatur: vnde tota causarum secundarum vis, & energia de medio tollitur. Tum demum: quia ad appetitum sequitur facultas, & potentia ad id, quod appetitur; quâ ratione, quia grauias, & leuias centrum naturaliter appetunt, facultas se mouendi in centrum, grauitas nimirum, & leuitas à natura ingenerata est: ac omnis res conseruationem sui innatè appetit: nulla ergo non habet potentiam, & facultatem ad sui conseruationem. Obiiciunt secundò aduersarij: si Deus solo concursu vniuersali, & indeterminato effectus creatos conserua-

re non posset, & ad influxu determinato, & particulari indigeret, sanè habitus vitiosos ea ratione conseruaret. Consequens est absurdum: quia sicut eos primò producere per se nequit, ita & per se illos conseruare non sustinet.

Verum, hæc momenti non sunt. Primum enim si quid probat, certè non aliud, quàm res creatas conseruare semetipsas inadæquate: quod nostræ sententiæ non aduersatur, nec contrariæ quicquam conducit. Secundum autem facile solui potest concessa sequela: consequens vero non magis absurdum est, quàm quod Deus ad ipsum actum peccati immediatè concurrat: sicut enim hoc ad munus Authoris naturæ pertinet; ita similiter & conseruare effectus physicos, quamuis noxios, ab iis relictos: nisi fortè quis velit, ipsam voluntatem humanam instar causæ particularis, & determinatè eos conseruare. Diei, effectus physicos, quia effectus morales actuum prauorum, nimirum peccata habitualia Deus nullatenus conseruare potest. An autem Deus habitus illos vitiosos per se primo infundere possit, aded constans non est: & pars affirmatiua saltem non est improbabilis



TRACTATVS V.

De actione destructiua corporis naturalis.

CAPVT PRIMVM.

An destructione formæ substantialis constituentis corpus naturale, aut cuiusvis alterius prior esse debeat generatio formæ oppositæ?



ENSEO vniuersim loquendo, generationem vnus formæ, eiusque introductionem non esse priorem, aut posteriorem tempore destructione, aut expulsiōe alterius, sed vtramque esse simul tempore: quia si generatio, & introductio vnus formæ esset prior tempore destructione, & exclusiōe alterius, sanè esset subiectum in aliquo instanti cum vtraque forma; amore verbi gratia & odio; assensu, & dissensu; peccato, & gratia forma humana, & cadauerica: quod cum earum formarum impossibilitate non cohereret: si vero è contrario destructio, ac exclusio vnus formæ esset prior tempore introductione alterius, certè in aliquo instanti esset subiectum sine vtraque forma, materia prima v. g. sine forma humana, aut cadauerica, aliæ quacunque, & aqua sine frigore, aut calore: quod quantum repugnet, quis non videat?

Huic doctrinæ dissentit Lorca in 1. 2. c. 2. d. 4. de gratia ibique docet, in moralibus duas formas impossibiles, peccatum scilicet, & gratiam in primo instanti reali iustificationis simul esse, & introductionem gratiæ priorem tempore esse, quàm expulsiōem peccati: quia introductio gratiæ est prior naturæ exclusiōe peccati, eaque nullo modo posterior, eiusve effectus est: igitur introductio

introducō gratiæ in tempore antecedit exclusiōnem peccati, atque adeo gratia, & peccatum in aliquo instanti sunt simul. Antecedens perspicuum est: consequentia probatur: quia ideo in physicis introducō vnus formæ non est prior tempore exclusiōne alterius, & neutra forma, calor verbi gratia & frigus in eodem instanti reali componuntur, quia introducō caloris non est solū prior natura expulsiōne frigoris, verum etiam ordine naturæ posterior: atque adeo non est, cur sit prior tempore vna respectu alterius, quā tempore posterior: cum ergo tempore prior, & etiam posterior vna respectu alterius esse non possit, sanè vna simul cum tempore cum alia non esse non poterit. At in moralibus hæc mutua prioritas non reperitur: ergo non est, cur in iis vnus formæ expulsiō, & alterius introducō sint simul tempore. Tum etiam gratia in primo instanti pugnat cum peccato: ergo in primo instanti gratia, & peccatum sunt simul: aliā qua ratione pugnare possent?

3. Verū, hæc sententia parum probabilis est, primò: quia ex ea sequeretur, aliquem esse simul iustum, & iniustum; peccatorem, & non peccatorem; amicum, & inimicum Dei; contra illud Ioan. epist. 1. cap. 3. ibi: *omnis, qui in eo manet, non peccat; & omnis, qui peccat, non videt eum, nec cognovit eum.* Secundo: quia sicut gratia in primo iustificatiōis instanti cum peccato pugnat, ita etiam amor cum odio, assensus cum dissenso, & calor cum frigore in primo instanti pugnat: at amor, & odium; assensus, & dissenso; calor, & frigus ob id in eodem instanti reali componi non debent. Tertiò: quia mutua illa prioritas inter introducōnem vnus formæ, & expulsiōnem alterius omnino repugnat: & quamvis possibilis sit, non est, cur in physicis potius, quā in moralibus adstruenda sit, & quamvis in vni, & non alteris adstruatur, ad præsens institutum nullatenus deferuire potest: siquidem prioritas naturæ longè diuersæ rationis est à prioritate temporis, nec hæc ex illa rectè deducitur, vt vel ipse aduersarius fateri debet: quippe iuxta cuius principia in physicis introducō vnus formæ est reciproce prior, & posterior natura exclusiōne alterius, & tamen ea tempore prior, & posterior non est, sed cum ea simul tempore: quantumvis ergo in moralibus introducō gratiæ sit omnino prior natura, & nullo modo posterior natura expulsiōne peccati, & in hoc ab introducōne, & expulsiōne formarum physicarum differat; non propterea ea prior tempore, & non posterior simul censenda est: atque adeo gratia simul cum peccato in primo iustificatiōis instanti coherere non poterit. Hinc ad argumenta Lorcitana constat, quæ certè ex non animaduersa natura prioritatis, & posterioritatis naturæ procedunt, vt rectè animaduertit P. Hurtado disput. 8. physicor. sect. 9.

4. Censeo secundo cum plerisque Philosophis, generatiōem, & introducōnem vnus formæ, vniuersim etiam loquendo, destructiōne, & expulsiōne alterius priorē natura, siue ratione esse. Primò: quia ideo absolute vna forma in subiecto esse definit, quia alia in illud introducitur, & non è conuerso: igitur introducō vnus formæ expulsiōne alterius natura, & ratione prior est: qua ratione prius natura obiectum est in se quodammodo, quā sciat, priusque scitur, quā ama-

tur: quia ideo obiectum scitur, quia quodammodo est, ideoque amatur, quia scitur, non è conuerso. Secundo: quia aquæ verbi gratia frigiditas naturaliter debetur, ab eaque appetitu innato expolitur: igitur nequit Deus naturaliter aquam frigiditate ipoliare, quin eam qualitate contraria, calore nimirum, affectam præuideat: ergo prius videt Deus calorem in aqua existentem, quā frigus ab ea destructum: igitur introducō caloris destructiōne frigoris prior natura est, aliā cur à Deo prius natura prospiceretur. Tertiò ad hominem contra eos, qui libertatem immediatam cuius omisiōni denegant, eamque in solo acta positiōe posse esse tueri: quia omisiō odij nequit esse prior natura produciōne amoris, aut etiam simul natura cum ipsa: igitur ea posterior natura solū esse poterit: ac proinde cuiusvis alterius formæ expulsiō introducōne formæ contrariæ posterior erit, & hæc illa prior. Consequentia perspicua est: antecedens probatur: quia si omisiō odij produciōnem amoris antecederet, aut comitaretur, eaque posterior non esset, sanè omisiō odij immediatè libera esset, cum nullum principium secum essentialiter connexum præsupponere posset, si quod enim præsupponeret, maximè produciōnem amoris. Consequens autem ab aduersariis minimè admittitur, nec admittendum est, vt in Metaphysica ostendamus. Quartò demum: quia vna forma aliam expellit, vt experientia notum est, nec non paritate vnus corporis aliud à loco expellens: at si vna forma prout introducta expulsiōnem alterius non antecederet, eiusque causa non esset, alteram non expelleret: ergo &c. Minor probatur: quia cum vna forma antecederet ad introducōnem alterius intelligitur expulsa, aut certè concomitantè cum introducōne alterius, & independentè ab illa intelligitur expulsa; non est, cur ab alia expelli dicatur: qua ratione si pro priori ad introducōnem caloris in aëre, aut certè concomitantè cum illa, & independentè ab illa lux ab aëre expellatur, sanè lux à calore expulsa dici nequibit: igitur vt vna forma ab alia expelli, & hanc illam expellere censeatur, opus est, vt introducō vnus expulsiōnem alterius naturā antecuerat.

Obiicies primò: quoties corpus aliquod motu locali, & ordinem temporis concernente, de loco ad locum, siue de termino à quo, ad terminum ad quem mouetur, prius tempore recedit ab vno loco, quā accedit ad alium distantem: similiter ergo, quoties subiectum aliquod motu alteratiōis verbi gratia ordinem naturæ, & causalitatis concernente, ab vna forma ad aliam, ab vnoque termino ad alium mouetur, prius natura ab vna forma recedit, quā ad aliam accedat. Obiicies secundo: prius natura, quā subiectum suscipiat aliquam formam, debet esse proximè expeditum ad eius suscepiōnem: igitur prius quā illam suscipiat, debet habere carentiam impedimentorum, siue, quod perinde est, esse non impeditum ad eius suscepiōnem: cum ergo forma opposita sit impedimentum ad nouæ illius formæ suscepiōnem, sanè prius natura debet intelligi cum carentia formæ oppositæ, quā alteram formam de nouo suscipiat.

Obiicies tertiò: quando ob impetum, & violentiam irruentis aëris fenestra aperitur, ideo aër ingreditur, quia fenestra aperta est, vt sensu,

& experientia notissimum videtur: ergo prius natura vnum corpus locum deserit, quam aliud illum occupet: ergo similiter prius natura subiectum pristinam formam deserit, quam nouam suscipiat. Obiicies quartò: natura per se, & velut finem intendit generationem formæ, utpote quæ naturæ bonum est: corruptionem verò formæ impossibilem non propter se, aut velut finem intendit, cum malum sit, sed propter aliud, & velut medium ad generationem alterius formæ utile: at executio mediij ordine naturæ prior est assequutione finis, cum finem nisi per media assequi nemo possit: igitur destructio vnius formæ prior natura est generatione alterius. Confirmatur, & declaratur: licet in intentione diuina sit prior introductio nouæ formæ, quam pristinae expulsio, & non nisi ex intentione nouæ formæ Deus decreto suo efficaci pristinam expellat, tamen expulsio pristinae formæ quasi in executione, & in facto esse debet esse prior natura introductione nouæ formæ: ideòque Deus censendus est, introducere nouam formam, quia ei per expulsionem pristinae formæ locum in subiecto præparauit: qua ratione, si quis Regis aduentum sperans, e domo habitatores illius eieceret, ut hospitium Regi præpararet, sanè in eo euentu, quantumuis aduentus Regis, eiusque in domum hospitij causa receptio in intentione prior esset, quam aliorum e domo eiectio, tamen in executione, & quasi in facto esse, prior natura esset aliorum eiectio, quam Regis susceptio: ideòque re ipsa quis Regem in domum susceperet, quia alios eiecit.

7. Obiicies quintò: dispositio vltima ad formam ignis suapte natura immediatè postulat tam introductionem formæ ignis, quam expulsionem formæ ligni: igitur ad exigentiam illius dispositionis pro eodem posteriori signo naturæ & forma ignis introduci, & forma ligni expelli poterit: ac proinde introductio vnius, & expulsio alterius simul natura intelligi poterunt, ac debent. Consequentia perspicua est: quia ideo pro signo naturæ dispositionem vltimam, calorem ut octo verbi gratia immediatè subsequente forma ignis introducit, quia dispositio vltima eam immediatè postulat: cum ergo etiam expulsionem formæ ligni non minus immediatè postulet, non erit, cur in eodem naturæ signo forma ligni non expellatur? Antecedens verò probatur: quia dispositio vltima ad formam ignis est impossibile naturaliter cum forma ligni: igitur eius expulsio immediatè postulat, haud secus, ac introductionem formæ ignis immediatè postulat, quia cum ea naturaliter connexa est. Et quidem P. Suarez disp. 27. Metaphys. sect. 2. num. 21. in suspensio relinquit, an expulsio formæ vnius, alterius introductionem sequatur, vel potius comitetur: sed earum concomitantiam destinatè affirmat. t. 3. de gratia lib. 7. cap. 14. num. 8.

8. Confirmatur, & declaratur: ideo introductio formæ accidentalis, alterius etiam accidentali expulsionem, seu destructionem prior est: quia altera à subiecto sibi cognato, eamque exigenti non nisi ob alicuius contrariam exigentiam expelli debet: nihil autem est, quod eam expelli postulet, nisi introductio nouæ formæ accidentalis sibi opposita: at in formis substantialibus præter introductionem nouæ formæ aliud est, quod pri-

stinae formæ expulsionem postulet, nimirum expulsio dispositionum accidentalium sine quibus pristina forma esse, aut conservari in subiecto nequit: ergo non est, cur introductio vnius formæ substantialis alterius expulsionem, siue destructionem natura prior sit, ad eiusve exigentiam fiat. Obiicies denique sextò Angelicum Præceptorem 1. 2. quæst. 113. art. 8. ibi: *ex parte Solis prius est illuminare, quam tenebras remouere; ex parte vero aeris prius purgari tenebris, quam consequi lumen ordine naturæ; licet utrumque sit simul tempore*: tum sic, prius natura, quam in aërem lux introducat, tenebræ luci oppositæ ab aëre expelluntur: similiter igitur priusquam quæuis alia forma in subiectum introducat, forma opposita à subiecto expelli debet.

Ad primum respondeo: prioritas temporis longè diuersæ rationis est à prioritate naturæ: quare perperam ab vna ad aliam in præsentia arguitur. Illud tamen negari non potest, nec debet, sicut recessus ab vno loco est prior tempore accessu ad alium locum distantem, ita similiter recessus subiecti ab vna forma esse priorem ratione nostræ accessu ad alium; nimirum si hic accessus, & recessus, qui in motu alterationis verbi gratia vsuuenit, accipiat per similitudinem, & analogiam ad eum accessum, & recessum, qui in motu locali, siue latione accidit: similitudo enim, & analogia cum prioritate vera, & reali prioritas quædam rationis est. Caterùm, si de prioritate naturæ sermo sit, recessus ab vna forma prior natura non est accessu ad aliam, ut nostræ rationes suadent.

Ad secundum respondeo, impedimentum ad formam aliquam introducendam duplex esse; consequens nimirum, & antecedens: impedimentum consequens est carentia ipsius formæ introducendæ, aut quiduis aliud cum ea formaliter impossibile, qualis est forma contraria, aut consecutiue cum ea impossibile, ut carentia proprietatum formæ: impedimentum antecedens est carentia alicuius prærequisiti, aut principij necessarij ad introductionem formæ, aut quidpiam aliud eiuscemodi carentiam inferens, qualis est carentia approximationis passi cum agente, aut positiva distantia passi eam approximationem inferens. Quo posito: subiectum prius natura intelligitur expeditum in actu primo, siue, quod perinde est, cum carentia cuiusuis impedimenti antecedentis, quam forma in illud introducat: at ante talem introductionem non debet esse pro priori naturæ expeditum in actu secundo, siue cum carentia cuiusuis impedimenti consequentis: siquidem carentia ipsius formæ est impedimentum consequens introductionis formæ; & tamen carentia huius impedimenti introductione formæ prior natura non est, cum nihil aliud sit, quam ipsa forma, siue carentia carentiæ formæ: eademque ratione carentia proprietatum animæ, intellectus nimirum & voluntatis est impedimentum consequens productionem animæ, & tamen hoc impedimentum pro priori ad productionem causæ auferri non debet: alias pro eo priori proprietates animæ produci deberent: cum ergo forma contraria inter impedimenta consequentia formæ introducendæ connumeranda sit, sanè ante introductionem formæ prius natura expelli non debet.

Ad tertium responderi communiter solet: operationem

9.

10.

11.

tionem fenestram non esse posteriorem natura ingressu aëris, eo quod non fiat ab ingressu aëris, sed ab impetu impresso fenestram: quare apertionem fenestram in genere causae dispositivae, & remouentis prohibens erit prior natura ingressu aëris: hoc ordine, ut impetus aëris fenestram verberantis primo loco fiat, secundo apertio fenestram, tertio ingressus aëris. Verum mihi cum ingeniosis recentioribus longè magis placet, ingressum aëris esse priorem natura apertione fenestram, priusque natura aërem occupare fenestram spatium, quam fenestram illud sui apertione deferat; haud secus, ac prius natura subiectum aliquod nouam formam consequitur, quam antiquam dimittat. Quod in hunc modum suadeo: quoties vnum corpus impulsu, & motione sui aliud corpus sibi contiguum mouet, atque impellit, prius natura vnum corpus mouet, atque impellit, quam aliud moueatur, & impellatur: quia ratione prima superficies lapidis in altum proiecti prius mouetur, & impellitur, quam secunda superficies, &c. & funiculo moto prius natura prima eius pars mouetur, & impellitur, quam sequentes: nimirum quia prima superficies lapidis à me mota, atque impulsa sequentes mouet, & impellit: & prima funiculi pars mota, & impulsa reliquas suo ordine mouet, & impellit: at aër motu, & impulsione sui fenestram mouet, & impellit: ergo prius naturam mouetur, & impellitur, quam fenestram moueatur, aut impellatur: cum ergo moueri aërem sit antiquum locum deferere, & locum fenestram de nouo occupare; moueri-que fenestram sit idem, ac locum suum deferere, & nouum locum à priori distinctum occupare; sanè prius natura aër locum fenestram occupabit, quam fenestram eum deferret: quod si fenestram non impetu irruentis aëris, sed manu vltro eam retrahentis aperitur, diuerso modo de ea apertione philosophandum est, siquidem primo loco fenestram ab eam recludente impetum accipit, secundo loco aperitur, tertio verò aër in locum fenestram succedit, & ingreditur, ne vacuum in rerum natura reperiatur.

12. Ad quartum: natura intendit per se, & velut finem primarium generationem, & introductionem nouae formae, secus verò corruptionem, & expulsionem formae pristinae: ceterum inde non fit corruptionem, expulsionemque pristinae formae velut medium à natura intendi, sed tantum eam intendi velut finem secundarium ob connectionem, quam cum eius fine primario sibi vendicat. Qua ratione qui intendit immoderatum ciborum esum, ex quo mors necessario sequutura est, mortem quidem secundario, & virtualiter intendit, non tamen velut medium ad cibos edendos. Ad confirmationem autem quartae obiectionis dicendum est: aduentus Regis, eiusque in domum susceptio in intentione quidem prior est, quam aliorum à domo eiection: at verò in executione, & facto esse natura prior esse non potest: quia ut susceptio Regis in domum hospitum aliorum ab ea expulsionem prior natura esset, susceptio, & expulsio eodem instanti reali esse deberent, cum prius, & posterius instans natura in eodem instanti temporis necessatio sint: at susceptio illa, & expulsio non sunt in eodem instanti reali, sed prius tempore est eiection aliorum, quam Principis receptio: igitur haec illius causa esse nequit, si quoad executionem, & facto esse ser-

mo sit: haec autem ratio in introductione vnius formae, & expulsionem alterius non militat, cum vtraque in eodem instanti reali sint. Deinde: si ut intuitu, & intentione Regis in hospitium suscipiendi pro priori naturae quis alios à domo eiecere decernit efficaciter; sic etiam Deus ex intentione nouae formae pro priori naturae efficaciter decerneret expellere pristinam; eaque doctrina, & paritas vniuersaliter valeret: sanè ex intentione amoris nostri liberi idem Deus pro priori naturae odium expellere efficaciter statueret, & similiter etiam ex intentione peccati in animam introducendi, pro priori gratiam expellere efficaciter decerneret. Consequens est absurdum: quia alterum horum libertatem odio habendi, aut etiam, si mauis, amandi in nobis euerteret: alterum verò faceret Deum autorem peccati, nec non iniustum eius punitorem; cum nimirum qui ante peccatum eiusque ut futuri scientiam, illud puniret.

Ad quintum respondeo negato antecedenti: ad eius probationem: dispositio vltima ad formam ignis non est immediatè, & formaliter incompossibilis cum forma ligni, sed tantum media forma ignis, & media expulsionem dispositionum ad formam ligni, cum quibus connectitur, & quas necessaria, & naturali sequela infert. Quare si per impossibile, & supernaturaliter Deus dispositionem vltimam formae ignis cum forma ligni in eadem materia componeret, miraculum non esset in eo, quod dispositio vltima ad formam ignis cum forma ligni in eodem subiecto simul esset; sed in eo, quod forma ignis simul cum forma ligni esset; aut in eo, quod expulsis dispositionibus ad formam ligni, adhuc ea in materia perseveraret: igitur signum est, dispositionem ad formam ignis solum media forma ignis, aut expulsionem dispositionum ad formam ligni cum hac in eodem subiecto pugnare. Ad confirmationem quinti argumenti dicendum est: dispositio vltima ad formam ignis eius introductionem immediatè postulat: vnde eiusmodi introductio est in secundo signo post illud. Deinde, vltima illa dispositio immediatè etiam postulat expulsionem dispositionum ad formam ligni; vnde ea expulsio est etiam in eodem secundo signo post vltimam dispositionem ad ignem: expulsio autem formae ligni est in signo sequenti expulsionem dispositionum ligni: ergo est in tertio signo post dispositionem vltimam ad formam ignis: at introductio formae ignis nequit esse in secundo signo, & expulsio formae ligni in tertio, quin illa haec prior sit. Quare aduersarij ex eo, quod expulsio dispositionum ad pristinam formam, eiusdem formae expulsionem postulet, perperam colligunt, introductionem nouae formae eam non exigere, eiusque causam non esse; cum potius oppositum colligere possent, & deberent: ut ex calculatione iam iam à nobis facta perspicuum est.

Ad vltimum respondeo: D. Thomas eo loci tantum intendit, ex parte Solis prius natura esse illuminare inchoatiue, siue, quod perinde est, producere lucem in aëre, quam tenebras ab aëre perfectè remouere per vniorem lucis cum aëre; quod verissimum est, cum productio terminum natura antecedit: ex parte verò aëris prius à conuerso esse purgari inchoatiue à tenebris per productionem lucis, quam perfectè consequi lucem per eius vniorem in facto esse, quod eadem ratione verum

verum non esse nequit. Hanc autem esse mentem S. Thomæ ex eo constat : quia si illuminare aërem , & hunc purgari à tenebris perfectè , & formaliter sumuntur , idem omnino sunt : quid enim esse potest carentia tenebrarum in aëre , quàm lucis introductio : ac proinde alterum altero prius prioritate naturæ , siue causalitatis esse nequit : igitur ut alterum altero natura prius esse possit , alterum inchoatiuè , & alterum perfectè iam ex parte Solis , iam ex parte aëris sumi debet. Sciscitabitur fortasse aliquis : an duæ formæ oppositæ tales sint non solum ut vnitæ , verum etiam ut receptæ ? Quæstio hæc in nostra sententia non distinguente vnionem à receptione formæ locum habere non potest : In opposita respondendum est affirmatiuè : siquidem vna materia non habet potentiam passiuam ad sustentandas , & recipiendas duas formas verbi gratia formam equi , & formam leonis : igitur vna earum ut recepta cum educatione , & receptione alterius impossibilis est : ac proinde , ut receptæ opponuntur. Deinde non est , cur magis vnio vnus formæ cum vnione alterius , quàm receptio vnus formæ cum alterius receptione opponantur : igitur formæ non minus ut receptæ , quàm ut vnitæ opponuntur.

CAPVT II.

An accidentia aliqua corporis naturalis destructi , atque corrupti manent in genito ?

15. **I**dest : an in obitu hominis verbi gratia eiusque in vile cadauer conuersione fiat resolutio vsque ad materiam primam ; ita ut nihil hominis in cadauere præter solam materiam primam super sit ? In qua quæstione partem affirmantem Thomistæ , negant Doctores nostræ Societatis tuentur : & quidem experientia ipsa nostris fauere , & aduersariis aperto Marte refragari videtur. Equis enim homini , & cadaueri plura accidentia communia esse non cernat ? An non ambo in eadem lineamenta coeunt , in eandemque figuram conformantur ? An non eadem vtriusque magnitudo , proceritas eadem ? An non in vtriusque cunctarum partium idem tenor , situs , positura , proportio , atque symmetria ? Certè vtrobiusque iidem oculorum orbes , anfractus aurium iidem : comarum libertas eadem , eademque totius vultus imago ; haud supercilia circulum claudunt , haud oblerantur narium bipatentes valuæ : haud aliter tempora caput accingunt , faciem genæ circumstant : humeri similiter progerminant in brachia , hæc portiguntur in manus , has interfecat multiplex digitorum fissura ; ac demum illa ipsa pedum fulcra , molem , aut erectam sustinent , aut iacentem terminant.

16. **D**ices : eadem specie accidentia in homine , & cadauere reperiri , non verò eadem numero ; & non tam identitatem , quam similitudinem accidentium vtrobiusque experientiam testari. Contra tamen : quia cum materia prima hominis , & cadaueris non solum specie , verum etiam numero eadem sit , cur quantitas materiæ coæua , eiusque indiuidua comes eadem non sit ? Deinde : si diuersus numero calor in cadauere , atque in homine reperitur , ad cuius formæ exigentiam calor

ille de nouo in cadauere producitur ? non certè ad exigentiam pristinæ formæ substantialis quippe , quæ nec sibi , cum non existat , nec formæ superuenienti , cum hæc contraria sit , prouidere debet : non ad exigentiam formæ cadauericæ , quæ non calorem , sed potius oppositam frigiditatem postulat : non ad exigentiam pristini caloris , qui potius conseruationem sui , quàm alterius similis productionem exigere debet. Nihil ergo est , quod diuersum numero calorem in cadauere de nouo produci petat : ea igitur diuersitas sustinenda non est. Deinde , si in corpore modo humano , modo cadauerico eadem numero accidentia non sunt , & cum distincta sint , similitudine tamen sensus cludunt : qui persuaderi poterit , eundem numero solem heri , & hodie fulgere ; eodem numero celos noctu , & interdiu cieri ; eandem numero tellurem hyeme rigere , æstate florescere ; idem numero pelagus fluere , & refluxere , sequi , ac desequi , & non potius hæc , & reliqua elementa , mixtaque aliis , aliisque temporum vicibus alia esse , & cuncta sensibilia in continuo fluxu esse , ac nunquam consistere : sicuti Heraclitus , & Cratylus somniati sunt.

17. **A**rguuntur secundo : in eodem instanti , quo producitur ignis , dispositiones omnes ad illum existunt : at eæ magna ex parte in ligno præextiterunt : ergo aliqua accidentia corporis substantialis corrupti in genito permanent. Minor perspicua est : siquidem lignum ante susceptionem formæ ignis cale fit , arescit , atque dissoluitur. Maior probatur : quia si in instanti , quo producitur ignis , dispositiones omnes ad illum præuix non existant , cur potius ignis , quàm quoduis aliud ens naturale producitur ? Quod enim extiterint , nihil prodelle potest : tum quia quod extiterit odium in instanti antecedenti , non conducit ad tollendum amorem in hoc instanti , in quo non existit : ergo quod extiterint eæ dispositiones in instanti antecedenti , non conducit ad ponendam formam substantialem ignis in hoc instanti ; quo non existunt : tum quia alias dispositiones ad formam ignis , quæ mille annis retro extiterunt , conducere possent ad hoc , ut modo villarum forma ignis existeret.

18. **R**espondent primò Thomistæ : quamuis in primo momento productionis ignis dispositiones ad eam præuix non existant , tamen materiam iis dispositionibus sigillatam eo momento existere : quod satis , superque est. Verum quæ sigillatio sit isthæc , aut quo sigillo facta sit , intelligibile prorsus est : aut enim est sola dispositionis præteritio , nihil verò de præsentis ; & sic ad productionem formæ substantialis cuius utilitatis esse potest : aut est accidens aliquod à præuix dispositionibus in materia relictum , ut vices suas gerat , & sic rogo : à quo agente , vel intuitu , & exigentia cuius istius modi accidens producat ? Dices à Deo intuitu dispositionum præcedentium : verum cur similiter à Deo intuitu eiusmodi dispositionum præcedentium ipsa forma substantialis immediate produci nequeat , quin ad sigillationem illam ignoram , & intelligibilem recurrere opus sit.

19. **R**espondent secundo alij : dispositiones præuix ad formam substantialem ignis eo instanti , quo non existunt , sed extitere ; ad eius tamen productionem disponere , & conducere posse : haud secus ac vbicatio præcedens disponit , & necessaria